



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXXII. De abnegatione sui, & abdicatione omnis cupiditatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

suam, & idè sequebatur diluuium magnum. Cùm ergo interior affectus noster multùm corruptus sit, necesse est, vt actio sequens, index carentiæ interioris vigoris, corrumpatur. Ex puro corde, procedit fructus bonæ vitæ.

Quantum quis fecerit, quæritur: sed ex quanta virtute agit, non tam studiosè pensatur. Si fuerit fortis, diues, pulcher, habilis, vel bonus scriptor, bonus cantor, bonus laborator, inuestigatur: quàm pauper sit spiritu: quàm patiens & mitis: quàm deuotus & internus, à multis taceretur. Natura exteriora hominis respicit, gratia ad interiora se conuertit. Illa frequenter fallitur, ista in Deo sperat, vt non decipiatur.

## CAP. XXXII.

*De abnegatione sui, & abdicatione  
omnis cupiditatis.*

**F**ILI, non potes perfectam possidere libertatem, nisi totaliter abneges te ipsum. Compediti sunt omnes proprietarij, & sui ipsius amatores,

Matt.  
16. &  
19.

tores, cupidi, curiosi, gyrouagi, quærentes semper mollia, non quæ Iesu Christi, sed hoc sæpè fingentes & componentes, quod non stabit. Peribit enim totum, quod non est ex Deo ortum. Tene breue & consummatum verbum: Dimitte omnia, & inuenies omnia. Relinque cupidinem, & reperies requiem. Hoc mente pertracta: & quum impleueris, intelliges omnia.

2 Domine, hoc non est opus vnus diei, nec ludus paruulorum: imò in hoc breui, includitur omnis perfectio Religiosorum. Fili, non debes auerti, nec statim deici, audita via perfectorum; sed magis ad sublimiora prouocari, & ad minus ad hæc ex desiderio suspirare. Utinam sic tecum esset, & ad hoc peruenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nuntium meum purè stares, & eius quem tibi præposui Patris: tunc mihi valde placeres, & tota vita tua in gaudio & pace transiret. Adhuc multa habes ad relinquendum: quæ nisi mihi ex integro resignaueris, non acquires, quod postulas. Suadeo tibi emere à

re à me aurum ignitum, vt locuples fias, id est, cælestem sapientiam, omnia infima conculcantem. Postpone terrenam sapientiam, omnem humanam & propriam complacentiam.

3 Dixi, viliora tibi emenda pro pretiosis & altis, in rebus humanis. Nam valdè vilis & parua, ac pænè obliuioni tradita videtur, vera cælestis sapientia: non sapiens alta de se, nec magnificari quærens in terra, quam multi ore tenus prædicant, sed vita longè dissentiunt: ipsa tamen est pretiosa margarita, à multis abscondita. Matth.  
13.

## CAP. XXXIII.

*De instabilitate cordis, & de intentione finali, ad Deum habenda.*

**F**ILI, noli credere affectui tuo: qui nunc est, citò mutabitur in aliud. Iob 14. Quamdiu vixeris, mutabilitati subiectus es, etiam nolens: vt modò lætus, modò tristis: modò pacatus, modò turbatus: nunc deuotus, nunc indeuotus: nunc studiosus, nunc acediosus: nunc grauis, nunc

H 6 leuis